



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Quæstiones Canonicae De Decimis**

**Friderich, Melchior**

**Ingolstadii, 17010 [i.e. 1710]**

Quæstio II. Quæ Actiones competant decimatori.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61677)

fructuario, si ex malitia & in fraudem decimatoris culturam negligat: etsi enim liberum sit domino fundi, emphyteutæ &c. eum colere, vel non, vel hoc potius modo quàm alio, id tamen ipsi concessum est vel ob impotentiam, quia aut omnino colere nequit, aut hoc tantum modo & non alio, vel ob utilitatem, ut supra dictum est n. 40 r. ac traditur in Statut. Bavar. tit. 28. art. 1 s. non tamen id potest in odium & fraudem decimatoris. Illud indubitatum esse videtur, quod post Panorm. aliósque tradit Suar. l. c. n. 21. ac aperte sumitur ex c. 178

aliquibus 32. h. t. posse moneri ac compelli Parochianos, si ex malitia vel negligentia culturam omitant, ut per se vel fideles & industrios colonos aut conductores eam faciant, ne ipsorum culpâ aliquid decedat Ecclesiæ alterive decimatori. Estque decisum in Bavaria lib. 4. tit. 16. der alten Landts Ordnung/ ac confirmatum cit. tit. 28. art. 1 s. des Landts Rechts/ dum ibi supponitur, utilitatis solum causâ omitti culturam posse, videlicet ut fundus ad aliquod tempus quiescat, quò postea uberiores fructus reddat.

## QUÆSTIO II.

### Quæ Actiones competant Decimatori?

#### SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| 636. Utilitas questionis proponitur.                          | cujus dolo factum est, ut non solverentur.                         |
| 637. Si decime separate sunt, competit rei vindicatio.        | 642. Confessoria agitatur, si lis est inter decimatorem & colonum. |
| 638. Si nondum separate sunt, non competit actio in rem.      | 643. Clerico ad eunti Parochiam competit remedium adipiscenda.     |
| 639. Competit tamen Confessoria & Interdictum Uti possidetis. | 644. Turbatus in quasi possessione agit interdicto Retinenda.      |
| 640. Et Condictio ex Canone.                                  | 645. Spoliatus remedio Redintegranda aut Recuperanda.              |
| 641. Actio de dolo contra tertium.                            |  |

636 Cum agi in causa decimarum diversimodè possit, nimirum vel de jure decimandi, & quidem aut petitorio aut possessorio judi-

cio; vel de ipsis fructibus & decimis, iisque aut jam separatis aut nondum separatis: idcirco pro diversitate intentionis actoris, ac ipsius

sus rei, quæ petitur; quin modi quoque, quo petitur, diversæ actiones intendi possunt ac debent. Et quamvis, ut ait Hostiensis in c. 14. b. 1. Canonistæ non multum curent de formis petendi, cum in Judio Ecclesiastico sufficiat factum proponi juxta c. *Dilecti* 6. de *Judicijs*, ubi Alexand. III. Judices sacros alloquens ait: *provideatis attentius, ne ita subtiliter, sicut à multis fieri solet, cujusmodi actio intentetur, inquiratis, sed simpliciter & pure factum ipsum & rei veritatem, secundum formam Canonum & sanctorum Patrum instituta, investigare curetis.* Quamvis item in curijs etiam secularibus, saltem de consuetudine, necesse non sit in libello exprimi nomen actionis, sed sufficiat factum ita narrari & concludi, ut, quid & ex qua causa petatur, reo liquere possit: quia tamen, uti notum est, plurimum refert, quæ actio intentetur, ac Judex, si plures competunt, unam eligere debet, eamque, quæ actori magis est proficua, cum iste justitiam omni meliori modo sibi administrari petat, idcirco expedit distinctè hic singulas actiones, quæ decimatori competunt, recenseri.

637 Affert. I. Si pars decima à reliquis fructibus separata jam est, competit decimatori rei vindicatio contra quemcunque, apud quem illa extat. Ita tradunt omnes, patetque ex dictis n. 624. Si furto subducta fuit, competit etiam actio furti

& conditio furtiva, juxta *l. fin. Inst. de Oblig. qua ex delict.* & posterior quidem etiam adversus hæredes furis, tametsi de re furtiva nihil ad ipsos pervenerit. *l. si profure 7. §. 2. & l. 9. ff. de Condict. furt.* ita ut si res extat, condicatur cum omni interesse *l. 3. ff. eod.* si verò non extat, restimatio petatur. *l. 8. ff. eod.* Si vi & dolo ablata sunt decimæ seu rapta, præter actionem furti competit actio *vi bonorum raptorum*, intra annum à rapina commissa quadrupli, post annum simpli, ita tamen ut illi quadruplo ipsa res rapta insit. *prin. Inst. de vi bonor. rapt. & l. 2. §. 13. ff. eod.* Non tamen datur in raptoris hæredes cæterosque successores, quia est actio poenalis, *cit. l. 2. §. 27.* Quòd si agatur furti manifesti (quod fieri posse, cum Hottomanno, Wefenbecio, ac alijs tenet ac latè probat Harpprecht. *Inst. eod. à n. 9.*) tollitur hæc actio *vi bonorum raptorum*, & è contrâ. Sin verò agatur furti occulti, tunc, quia actio furti competit ad duplum, agi nihilominus potest *vi bonorum raptorum* intra annum ad aliud duplum. *l. 1. ff. eod. & Gloss. prin. Inst. eod. V. furti.* Porrò annus, intra quem ad quadruplum agi potest, non est continuus, sed utilis, constans videlicet ex diebus utilibus, quibus experiundi facultas est. *l. 1. ff. qua in fraud. creditor. & l. 1. ff. de divers. temporal. præscript.* ibique Gothofred. Govean. *lib. 1. var. lect. c. 10.* Heigius *prin. Inst.*

*Instit. de vi bon. rapt. n. 10.* Harpprecht. *ibid. n. 16.* Si denique decimæ dolo aut culpâ alicui perierunt, competit decimatori actio damni injuriâ dati ex tertio capite legis Aquiliæ ad æstimationem, quanti decimæ diebus 30. proximis retrò fuerint, juxta §. *Illud palam* 14. *Instit. de L. Aquil.*

638 Afferunt II. Si decimæ nondum sunt separata à reliquis fructibus, non competit decimatori actio in rem, ut constat ex dictis n. 628. & 629. sed conditio ex canone, quæ et si sit personalis, est tamen in rem scripta, & competit non tantum adversus fructuum dominum, sed etiam adversus quemcunque, ad quem fructus indecimati pervenerunt, juxta dicta. n. 631. Neque obest, si quis dicat, omnem actionem personalem esse ex obligatione, quæ vel ex contractu aut quasi, vel ex maleficio aut quasi nascatur. §. *omnium* 1. *Instit. de Action.* decimas autem non deberi ex contractu vel maleficio, aut quasi contractu vel quasi maleficio. Nam in primis actio in personam nascitur quidem ex contractu vel quasi, ex maleficio vel quasi; at non ex his solis, sed ex alijs quoque causis, juxta *cit. §. omnium* 1. & alijs quibusdam modis, & l. 1. *prim. ff. de O. & A.* Sic actio ad exhibendum est personalis, ut loquitur Ulp. l. 3. §. 3. *ff. ad exhibendum*, nec tamen ex contractu aut delicto vel quasi descendit, ut notat Harpprechtus ad *cit.*

§. 1. *Instit. de Action. n. 31.* Responderi potest secundo, eum, qui fructus indecimatos possidet, obligari ex quasi contractu ad dandas decimas, eò quod qui rem & fructus percipit, censeatur quasi contrahere eum Ecclesia, & cum colono, à quo eos indecimatos accipit, de decima persolvenda tanquam debita Ecclesiæ juxta c. 14. *h. t.*

639 Quia verò, qui decimas non solvit, Ecclesiæ jus decimandi aut negat aut aliàs turbat, idcirco in tali casu adversus illum etiam *Confessoriam* competere, afferunt Jason in §. *aque* 2. *Instit. de Action.* & Roffredus *tract. de libell. Jur. Camp. 4. rubr. quæ act.* Cùm hac actione non tantum servitutum, sed etiam cujuslibet alterius juris nomine, si non directè, saltem utiliter agatur. Unde si quis impedit, turbat, denegat, iniquè usurpat jus percipiendi decimas, oblationes, collectas, tributa, redditus, jus præsentandi, eligendi, instituendi &c. *Confessoria* locum habet, ut notant plerique Canonistæ in c. 19. & 26. *h. t.* Bald. in *rubr. C. de usufr.* Jason in l. *si priusquam ff. de nov. op. nunt. n. 3.* & 4. Bartol. in l. *si publicanus §. ult. ff. de Public. & Vectig.* Faber in §. 2. *Instit. de Action. n. 3.* Vultei in *ibid. num. 4. & 5.* Platea n. 23. Schneidevvin n. 10. Harpprecht. n. 4. Costald. in l. 11. *ff. si servit. vend.* Althuf. l. 3. *Dicæolog. c. 9. n. 13.* ac alij. Ob eandem causam contra possessores fructuum decimam solvere

vere recusantes agi potest Interdicto *Uti possidetis* juxta Hostiensem ac alios in *c. Dudum* 31. *h. t.* Rebuffium *q. 9. n. 3. & 4. qui n. 5.* observat, & cum ipso Moneta *c. 8. q. 3. n. 31.* ac Franc. Leop. 2. *Thes. Jur. Eccl. c. 12. n. 26.* id verum esse etiam tunc, quando Parochus nullas adhuc ex isto fundo percepit decimas: eò quòd per Beneficij collationem & inductionem in possessionem effectus sit possessor omnium rerum & jurium sui Beneficij, per ea, quæ post Bart. & Aretin. in *l. cum heredes ff. de acquir. poss. Anchor. in reg. sine poss. ff. de R. I. in d. sol* 18. ac alios tradit Covarr. *l. 3. var. c. 16. n. 13.* Præterquam, quòd decimas exigit nomine suæ Ecclesiæ: hæc autem, etiam quando pastore caret, possidet omnia bona & jura ad Beneficium pertinentia, ut post Innocent. Bart. ac alios tradit idem Covarr. *l. c.* ac patet ex *l. Jubemus in fin. C. de SS. Eccles. & l. Raptores, C. de Episc. & Cler.* Agi posse Interdicto etiam *Unde vi*, sequitur ex communi doctrina Baldi, Speculat. Socin. Sen. ac aliorum, quos refert & sequitur Gaillius *l. 2. obser. 10. n. 5. & obser. 25. n. 1.* dum asserunt, quòd qui redditum vel censum annum solvere detrectat, aut servitia vel jura debita, possidentem spoliare dicatur, & sic contra eum rectè agi Interdicto *unde vi*, vel ex constitutione *l. si quis in tantam C. unde vi.* Notum autem est, decimas esse jura debita,

& quandam quasi annuam pensionem vel censum. Porrò contra morosos debitores aut renuentes solvere non solum agitur, ut solvant: quod modò debent; sed etiam ad futuras præstationes concludi potest, ut benè notat Rebuff. *q. 9. n. 13. & 17.* quemadmodum in servitutibus & annuis præstationibus fieri solet juxta *l. Non quemad. 3. ff. de Judic. l. Egi 12. si serv. vindic. & l. 1. §. 2. ff. de Usur.* Dicit igitur Parochus, se esse Curatum hujus loci, ratione cujus decimæ sibi debeantur, & cum Titius ibi habeat agros, ex quibus non solvit decimas, petere se eum condemnari ad solvendum præteritas, & ad continuandam deinceps solutionem, quamdiu ipse actor hujus Ecclesiæ Curatus fuerit, Judicis officium desuper implorando &c.

Assert. III. Conditio ex Cano. 640 ne non solum competit contra quemvis fructuum possessorem, ut dixi *n. 638.* ac tradunt Rebuff. *cit. q. 9. n. 14.* & Moneta *cit. q. 3. n. 36.* cum communi omnium: sed etiam contra illum, qui fructus vel pendentes vel solo adhuc coherentes, vel jam separatos & collectos, dolo vel notabili negligentia destruxit, uti observat Pirhingius *h. t. n. 158.* & patet ex dictis *n. 631. & seqq.* Addit Joan. Andreas in *c. Commissum h. t. n. 5.* eum, qui dolo vel negligentia fructus pessumdedit, non excusari ex superveniente postea grandine aliòve simili infortunio, quo

quo illi fuissent perituri, eò quòd dolum vel culpam jam commiserit, & satis sit, quòd fructus poterant non perire. Quam sententiam ut verissimam passim tenent Theologi, dum universim ajunt, eum, qui damnum injurià dedit, teneri ad ejus compensationem, etiamsi res aliunde peritura fuisset; saltem si tempore damni dati non habebatur notitia de interitu rei aliunde ex causis naturalibus imminente. Rationem dant Molina *tr. 2. de Just. disp. 726. n. 2.* & Card. de Lugo *tom. 1. de Just. disp. 18. n. 76.* quia cum periculum illud ignoraretur, res tunc, quando destruebatur, in assumptione morali tantundem valebat, quantum, si peritura non fuisset. Unde totus illè valor per injuriam ablatus fuit, & damnum dans totius illius debiti reus factus est, atque idèd suscepit in se onus & obligationem totius debiti solvendi, à qua obligatione non excusatur, quòd eventus postea ostendit, rem, etiamsi à me destructa non fuisset, creditori vel domino nihilominus perituram fuisse, quia hoc non facit, rem minus valuisse eo tempore, quo injustè à me destructa fuit, & pro quo taxari debet valor damni illati. Addunt, etiamsi pròvideam, rem ab alijs injustè vel auferendam vel destruendam, si ego intactam relinquam, teneri me nihilominus ad totum damnum reparandum, si abstuli aut destruxi: quia sicut ille, qui damnum,

me non dante, daturus fuisset, teneretur ad ejus integram compensationem, ita ego pròveniens teneor integrè compensare, tanquam sola & integra causa totius damni injurià dati. Limitanda tamen videtur assertio quoad illas terras, ubi frequentia damna frugibus inferuntur ex causis naturalibus, grandine, inundatione, nimia nivium aut ferarum copià &c. Cum enim v.g. in aliquot locis, ijs maximè, quæ alpibus vicina sunt, alternis sæpe annis aut singulis biennijs vel triennijs segetes grandine sternantur, periculum hujusmodi & damnum censeri debet inter ordinaria, ac idcirco valor fructuum adhuc pendentium neutiquam tantus est, quantus est jam collectorum, & sic is, qui perdit adhuc pendentes, non est censendus tantum damni inferre, quantum, qui jam collectos auferat aut pessumdat. Igitur hinc locum habebit arbitrium boni viri, & condemnandus non erit reus juxta totum valorem, quem fructus de se habent, sed juxta spem, quam ad eos colligendos habuit colonus.

Assert. IV. Contra eum, qui <sup>641</sup> decimarum debitori dolosè suavit, aliòve modo eum induxit, ut eas non solveret, competit actio de dolo ad damnum contingens ex illa sua suavione, consilio, mandato &c. Ita Rebuff. *cit. g. n. 13.* cum Innocent. ac alijs in *c. Dudum 31. h. t.* nisi decimæ ad dolosum pervenerint:

Rr 2

rint:

rint: tunc enim, quia alix actiones competunt, de quibus supra, cessat illa de dolo, utpote quæ est subsidiaria & extraordinaria. *l. Et eleganter 7. ff. de dolo malo.* Ordinarium autem remedium excludit extraordinarium. *l. 16. ff. de Minor. nisi extraordinarium sit pinguius, quale non est actio de dolo, utpote quæ solum datur in simplum, cum sit rei persecutoria, & nullam poenam contineat.* Oldendorp. *de Action. class. 6. act. 11. g. 7.* Mynsing. *in §. 31. Instit. de Act. n. 38.* Manzius *ibid. n. 9.*

642 Assert. V. Si lis est de proprietate juris decimandi inter duas Ecclesias, aliòve decimatores, agitur *Confessoria*, de qua supra *n. 639.* quia agitur de re incorporali. Ita Glossa, Hostiens. & Panor. *in c. Tua nobis 26. h. t.* Rebuff. *l. c. n. 13.* Moneta *l. c. n. 38.* Eadem est ratio de casu, quo Parochus, aliòve decimator asserit, sibi jus decimandi in his fundis competere; negat verò dominus fundi, emphyteuta &c. prætendens immunitatem ex privilegio, consuetudine, præscriptione &c. competit enim illi *Confessoria*, huic *Negatoria*, juxta *§. equè 2. Inst. de action.* Porrò quamvis agenti *Confessoria* probandum sit jus in re & quasi dominium, quod habere prætendit; si tamen actor est Parochus, sufficit, si probet, se esse Rectorem Parochiæ, intra cujus fines fundus decimalis est: quia fundatam habet in jure intentionem juxta dicta *n. 345. & 346.*

Assert. VI. Clericus aditâ Parochiâ agit possessorio adipiscendâ, & libello concludit, se esse Parochum loci, & idcirco ratione curæ animarum decimas sibi deberi, ac propterea petere adipisci illarum possessionem. Patet ex *§. 2. & 3. Inst. de Interdict.* ac in specie de decimis traditur à Rebuffo *q. 9. n. 1.* Moneta *c. 8. g. 2. n. 27.* Franc. Leo *p. 2. Theol. For. Eccl. c. 12. n. 28.* Sicque concludi potest etiam in alijs spiritualibus, ut tradunt DD. *in c. Accedens 23. de Accusat.* & Panor. *in c. Constitutis de Appell. in fin. ac c. Pastoralis colum. 3. de Caus. Possess.*

Assert. VII. Si Parochus aliòve decimator turbatur in possessione juris percipiendi decimas, agit Interdicto *Uti possidetis*, seu retinendæ, juxta tradita à DD. *in §. Retinendæ Inst. de Interdict.* docetque de decimis Rebuff. *l. c. n. 3.* Moneta *n. 30.* Leo *n. 25.* agitque hoc Interdicto non solum contra Parochianos, qui recusant solvere decimas; sed etiam contra alios Curatos, & Clericos tam Regulares quam seculares, ac universim contra quoscunque, à quibus in dicta possessione turbatur, ut iidem observant post Glossam, Hostiens. ac alios *in c. Dudum 31. h. t.*

Assert. VIII. Si Parochus aliòve decimator spoliatus est decimis, agit ad restitutionem juxta *c. ad decimas 2. de Restitut. spol.* & concludit remedio *Redintegranda ex Can.*

643 *Can. 33. q. 1. ut notant Rebuff. l. c. n. 2. Moneta n. 29. Leo n. 27. ac alij. Et quidem non tantum agit adversus ipsum spoliatorem, sed etiam adversus quemcunque decimarum possessorem etiam bonæ fidei, sive cum vitio, & absque titulo, sive cum titulo ad ipsum pervenerint: idque ad 30 annos. Quod pinguisimum remedium etsi nec ex illo *Can. Redintegranda*, nec ex alio Jure probetur, passim tamen etiam à Legistis admittitur, agnitionque non semel fuit à Camera Imperiali, teste Mynsingero *cent. 3. obs. 85. n. 6.* Quod si fortè rejiciatur à Judice, uti contra bonæ fidei possessorem rejiciendum existi-*

644 mant Bartol. Angel. Alexand. ac alij apud Gaillium *l. 2. obser. 75. n. 10.* & Emm. Gonzalez in *c. 15. de Restit. spol. n. 4.* concedendum saltem erit remedium *Recuperanda* ex Concilio Later. relatum *c. Sape contingit penult. de Restit. spol.* quod non tantum competit adversus eum, qui possessorem per se vel per alium dejecit vel deijci mandavit, ut Interdictum *unde vi*; sed etiam adversus quemlibet possessorem spoliationis conscium, sive acceperit spoliium immediatè à spoliatore, sive mediatè, etiam à possessore bonæ fidei intermedio. An verò spoliatus decimis ante omnia restituendus sit, dicitur infra à n. 652.

## CAPUT III.

## De Modo procedendi in Causis Decimarum.

## QUÆSTIO I.

*An in Causis Decimarum summarie procedendum sit?*

## SUMMARIUM.

646. Status questionis proponitur.
647. Causa decimarum inter Clericos, & inter hos ac Parochianos, est summaria.
648. Item, si quæstio est inter duas Ecclesias de jure decimandi.
649. Non tamen, si quæstio est de decimis ex pacto aliòve jure speciali debitis.
650. Aut inter laicos: nisi eas habeant in feudum.
651. Si est summaria, tractari potest in ferijs favore hominum inductis.

Rr 3 Causas